

Biogr. er. D  
585

~~Vollständ. lang. 1515~~

## MEMORIA

JOSEPHI DEMLERI

SS. Theologiæ Doctoris, Uni-  
versitatis Tubingensis Professoris &  
Pastoris ibid. laudatissimi,

*Suprema Commendatione celebrata*

*A SUCCESSORE*

BALTHASARE RAITHIO,

Theologiæ Doctore, Ejusdem, & Lingg.  
Orientalium Professore, Tubing.

Pastore.

*Die VII. Novembr. Anno clc lxc LX.*

Loco & hora solitis.

*Val Max. l. 8. c. 16.*

Candidis animis voluptatem præbuerunt in conspicuo posita, quæ  
cuique magnifica meritò contigerunt; Quia æquè præmiorum  
virtus ac honorum contemplatio judicanda est, ipsa natura no-  
bis alacritatem subministrante, cum honorem industrie appeti  
& exsolvi gratè videmus. Quoniam cui ascensus in Cœlum pa-  
tet, quamvis maxima, tamen debito minora sunt quæ in terris  
tribuuntur.

TUBINGÆ,

TYPIS THEODORICI WERLINI.





RECTOR  
 STUDII ACADEMICI  
 TUBINGENSIS  
 SUI LECTORIBUS SALUTEM  
 apprecatur.



INTER tot ritus condendi, condien-  
 dique demortuorum corpora, etiam id  
 apud *Persas & Assyrios* in more positum  
 fuisse legimus, ut illi quidem *cera cir-*  
*cumlitos* suos, hi autem *in melle* asserva-  
 rent; utrinque id spectantes, ut, quam  
 maximè liceret, diuturni forent, atque adversus putre-  
 dinem ossa exanima munirentur. Non illud hoc loco  
 exactioris trutina scrutinii expendimus, quantum piè  
 videri isthuc institutum, queat, quo, *in pulverem* ne  
 abeat, homo prohibetur; quem tamen, ut ex pulvere  
 formarat, sic *reverti* in eundem Creator Æternus edi-  
 cto irrefragabili, primævum reatum consequente, jus-  
 sit. Istud potius, præ omni *cerea*, aut *mellita* cadave-  
 rum conditura, convenire in fato suo defunctos con-  
 tendimus, ne qua virtutes eorundem, acquisitique per  
 egregia facinora, consimilis famam nominis compu-  
 trescere quasi, aut ciner fieri oblivione ingrata, & iniqua,  
 su-

superstites sinant. Quod prout in omnes præclarè meritos competere certum est: ita, quin Ministris verbì divini fidelibus, DEI ipsius vicariis, & legatis, per quos mellita nobis de salute nostra præconia velut propinantur, ac proponuntur, vel maximè debeat, quis est, qui ambigat? Quod si namque favorum, ac mellis in omni vita usum insigniter æstimandum deprehendimus: quot parasangis antere hunc commoda, fructumque censebimus, quem eloquia nobis cœlestia, cæteroquin perpetuò latitura, nisi his internuntiis, post priscam nostri è cœlo Assertoris revelationem, propalarentur, præstant? Hæc enim longe supra favos illos sylvestres, à *Jonathane* olim inventos, spirituali quadam perspicacitate oculos nostros illuminant; hæc animæ putredines, peccatorum inprimis gravissimis vulneribus inductas, efficaciter arcent, purgantque; hæc alimoniam non vitæ hujus fugacis, & evanidæ, sed mansuræ æternùm præbent; hæc, quicquid demum est acerbitatis, aut amaritudinis in absynthiorum hæc valle, mundo scilicet, obdulcant, suavissimisque affatibus deleniunt, atque emitigant. De his ergo sacer è Scriptura Parœmiastes unumquemque nostrum exhortetur meritò: *Comede, fili mi, mel, quia bonum est, & favum dulcissimum gutturi tuo.* Hoc sensu, loco non uno, eadem Numinis alloquia super mel & favum dulciora faucibus suis, vates idem, & rex, David deprædicet. Quandoquidem ergo & in beato nunc, JOSEPHO DEMMELE RO, SS. Theologiæ Doctore & Professore, Pastore Ecclesiæ nostratis, Viro, seu vitam, seu doctrinam spectes, æternæ commendationis dignissimo, melleorum istorum DEI eloquiorum promum con-

dum, ac doctorem verè melleum, elapso proximè anno, amissimus; cuius *ex ore* veriùs, quam ex Nestoris sui Homerus ait, quoties cathedram utramque orna-  
 ret, *mel mæxum fluxit*; quemque non abs re ideò *Sua-*  
*da*, sacrae præprimis, *medullam*, præ Enniano Cethego,  
 appellitemus: non equidem melleo Eum cum Assy-  
 riis conditorio, simul à nobis decessit, inferendum du-  
 ximus: sed amandum tamen usque & usque, etiam  
 post mortem, ut vivum consueveramus, & jam qui-  
 dem inprimis dulci quadam veneratione ac memoria  
 prosequendum, meritissimo, ut videmur, fuimus opi-  
 nati. Cujus rei hoc quoque, post alia æquissimi hono-  
 ris indicia, documentum, de more, ac tenore Statu-  
 torum Academiae, sumus addituri, ut PARENTA-  
 TIONEM Ei publicam, ab Admodum Reverendo &  
 Præ-Clarissimo DN. BALTHASARE RAITH, SS. The-  
 ologiæ Doctore & Professore, Beati DEMMELERI  
 successore convenientissimo, Collega nostro hono-  
 rando, ad diem Mercurii proximum, hora nona ma-  
 tutina, in Aula Nova habendam, dicemus. Hæc enim  
 sunt media; per quæ certiùs & insigniùs, quam *Glauc-*  
*um* olim quendam, *poto melle*, quod in adagiis locum  
 habet, *revicturum* quasi, aut resurrecturum eundem  
 existimamus. Qui gratam ergo itidem Antistitis de-  
 functi memoriam habetis, Cives Literati, Vicini pari-  
 ter, & Academici, confluite tum, & sacrum hoc Pa-  
 rentale Viro ad illam jam nunc *lacte ac melle fluentem*,  
*Palaestinam* superam evecto, si quidem sensus istorum  
 eò pertingit, amœnius nobiscum, desideratâ frequen-  
 tiâ, dulciusque reddite. P. P. sub Reçt. Sigillo, Domi-  
 nica XX. Trinitat. Anno MDC LX.

GE.

\*\*\*\*\*  
**GENEROSISSIMI COMITES,**  
 MAGNIFICE RECTOR, PER-ILLUSTRES BARONES,  
 DIGNISSIME PRO-CANCELLARIE, PATRES ACADE-  
 MICI CONSCRIPTI, VOSQUE CÆTERI AUDITORES  
 genere, merito, officio, eruditione, elegantia  
 ampliter æstimandi.

**N**unicam JOSEPHI polymitam cum fra-  
 terna olim invidia hædino sanguine infe-  
 cisset, & Patris subjecisset oculis, injecta  
 de bestia carnivora suspicione, protinus  
 spectaculum hoc amantissimum filii senem ad lachry-  
 mas compulit & lamenta immedicabilia. JOSEPHUM  
 DEMMELERUM, internecina hæmorrhagia purpu-  
 ratum laudatoria Oratione si hodie vobis sistam,  
 tam veras ab amantibus ejus pectoribus vel lachry-  
 mas vel gemitus expressurum me putarem, quam plæ-  
 rorumque non fictus in viventem amor fuit, si ea  
 modò facundia, qua ille solebat pro ambone, uti dare-  
 tur. Cæterum cum tam ambitiosus non fuerit DEM-  
 MELERUS ac Alexander M. qui à solo Apelle pingi,  
 à Lysippo fingi, à Praxitele fundi se voluit, haud ve-  
 rendum est manes ejus violatum iri, si VIRUM Chry-  
 sostomeo ore dignum os non Chrystomeum dicat,  
 & Antecessori datus impar Successor successu quoque  
 impari parentet. Cedant officia ubi officium requi-  
 ritur, nec desideretur elegantia ubi sola pietas solenne  
 facit. Non injusta loquor (scitis Proceres Academici)  
 & ad ista exsequenda promptus magis adlum quam  
 paratus, non ut Suadam aliquam vobis publicè pro-  
 bem, sed ut parentalis obsequium vocis. Agite igitur,  
 qui

qui ultimo hoc honore defunctū non tam ex consuetudine quam merito existimastis augendum, affectum vestrum cum nostro miscete, & daturum non historiam sed oratiunculam, non messem sed spicilegium attendite. Compendium quippe sermonis decet mortuum, qui id tam impensè amavit vivus, & me verecundè parcum in laudibus sine dispendio vel fidei nostræ vel temporis vestri faventius vos quoque A. I. (sic enixè precor optoque) audietis.

Quærenti Adriano Imper. quid est homo? Epictetus Philosophus in hanc sententiam satisfecit. BALNEO similis est, in 1. cella TEPIDARIA infans natus perungitur: in 2. SUDATORIA puer exercetur: in 3. CALDARIA juventus (nos conjungimus virilem ætatem,) occupatur: in 4. FRIGIDARIA senectus omnib9 æquasententiam eum depascitur. Nos nostrum DEMMELERUM lucidioris ordinis & facilioris memoriæ gratia per totidem humani ævi spacia pari sermonis filo circumducemus quoque.

In primam hujus balnei contignationem (cellam unctuariam) infans descendit noster JOSEPHUS Anno hujus seculi tertio, parentibus undecunque honorificis fatus natusque in Thermisferinis, patre cognomine, Præfecti Ducalis provinciam ibi sustinente, matre *MAGDALENA FRIAVLIA* matrona undiquaque commendabili, loco situ horrido quidem sylvæ Hercyniæ, sed salubri scatebra longè lateque famigerato. Non obfuit nostro inter silices & dumeta oriri, ut documentum daret non proletarium,

*Magnos posse viros & magna Exempla daturos  
Vervecum in patria crassoque sub aere nasci.*

Lu.



Lustratus renascentiæ lavacro & ad sanctum gradien-  
dumque domi formatus firmatusque, in Scholam  
Calvensem maturè ablegatus est ut connatam exueret  
feritatem, quippe

*Nemo adeò ferus est ut non mitescere possit,  
Si modo cultura patientem accomodet aurem.*

Imbuta ibi recenti velut lanâ optimis pietatis litera-  
rumque succis ex ergasterii hujus angustiis ad Mona-  
stici phrontisterii clathra enisus est JOSEPHUS, ab in-  
strumentalibus dicendi artibus ad reales felicibus in-  
genii alis in superiori gymnasia subvectus. Et hanc  
cellam SUDATORIAM interpretamur, in qua

*Multa tulit fecitque puer sudavit & alsit,*

Vidisses ibi respondentem suo nomini JOSEPHUM  
nostrum, quotidianis incrementis augescentem,  
anteriores assequentem, præcurrentem æquales.  
Habuit virtutis hujus theatra brabeuteria nostra Phi-  
losophica, primam nempe lauream velut orationem  
decernente Examinatorum calculo, dum esset adhuc  
Monasticus Anno seculi hujus 1625. alteram velut  
triumphum, dum Stipendii Ducalis alumnus audi-  
ret, biennio post, cum obtenta primatus palma can-  
didatorum agmen duceret. Quid expectatis A. I.  
fortassis DEMMELERUM post decursum impigrè  
Philosophicum curriculum pigrescentem, aut se-  
dendo vacunæ Murciaeque litantem? Imo gustatâ hâc  
quasi loto Theologiæ avidius inhiantem, ad quam  
tam luculento stipatus com meatu venit; secus ac à  
quibusdam delicatulis nostratibus fieri amat, qui aut  
aliud, aut nihil, aut mollis. loquendo remissius agunt  
cum salutantur Magistri, & cum Hannib. post Can-  
nen-

nensem pugnam Capuæ desidentes, cum opportunitas  
 esset capiendæ Romæ; studiorum metam esse rati, qui  
 gradus est, cui sinisteritati silentium hîc donare incre-  
 mentum est adjicere. Aliter Alexand. cognomento  
 M. qui Anaxarcho comiti suo ex autoritate Demo-  
 criti præceptoris plures mundos referenti: Heu me,  
 inquebat, miserum, quod nec uno quidem adhuc sum  
 potitus. Angusta homini possessio fuit, quæ uno termi-  
 naretur mundo. Sed ex diverticulo in viam ad DEM-  
 MELERUM nostrum redimus. Commodum evenit  
 ut nervis generositatis in Studio Theologico spectatis  
 legendo, concionando, opponendo, respondendoq;  
 Repetentiû adscriberetur septenario selectiori; novum  
 honoris hujus auctoramentum novæ alacritatis nostro  
 subministravit pabulum, ut pariter imbiberet à Musage-  
 tis suis propinatum cœleste nectar, & latices Philologo-  
 Philosophicos, compellatus studiorû hodægeta, trans-  
 funderet in alios. Testes rei hujus darem vivos, ni spe-  
 cimina ejusmodi typis edita luci prostant; quæ ut pe-  
 nitius innotuere promotoribus, de eo ex xysto velut in  
 palæstram, è stipendio ad parochiam evocando seriò  
 egerunt. Iam itaque pari pedatu nostrum DEMMELE-  
 RUM ad CALDARIAM, quam cellam assam perferen-  
 tariam Celsus vocat, deducimus. In suggesto collocatus  
 non se plagiarium aut fungum, quales una nocte nasci  
 possunt, ostendit, aut alieni laboris simplicem promum  
 condum, sed in differendo, DAGERSHEMII primò de-  
 hinc FEURBACI, perspicuum, in percendo gravem,  
 vultu gestuq; efficacem; donec eum BIETINGA Pastro-  
 rem & vicinarum Superint. optavit & adoptavit, re-  
 spirantem parumper à divexationibus expilationibus-  
 que

que stratiotarum, & in gratiam cum Musis suis mansuetioribus redeuntem, quarum famulatu & consilia in agendo commissis inspectioni suæ, & responsa in dubiis Diæcesanarum disputationum aleis commodabat. Celari hæc non magis poterant ac igniculus natura sua sursum enitens, ut suspensi hærerent, queis nota viri virtus, quorsum tam præclaræ minæ evasuræ essent. Commissus quidem est cum iis ab Ill. Consistorio, qui periclitabantur coram Ser. mo suum concionanditalentum, sed debebatur noster divina destinatione TUBINGÆ, pastorale pedum cum Profess. Theologica connexum ante septennium, imò triennio post Doctorali adoreq; innexum, Sereniss. decreto offerenti, modò obtigisset adhuc vegetiori vocatio. At DEMMELE-  
RUM Episcopum sine uxore, œconomum DEI sine privata Oeconomia non circumducemus. Conjugii prima vota dedit *ANNAE MARGARETHAE CELLARIAE*: Secunda *SYSANNAE SCHROETLINIAE*: Tertia *MARIAE LOETHINIAE*, isti virgini amabili perquam, his matronis proprio coruscantibus elogio, ex prima harum octo liberorum pater factus est, superstite filio non nisi uno, cui provideat Dominus in monte! Filia matri *ἐμάρτυρος* nuptum data præclariss. Collegæ nostro D. CHRISTOPHORO CALDENBACHIO fuit, sed brevior ea felicitas erat, quam vel optassemus, vel voluisset virorum optimus. Omnes vitæ suæ Consortes individuales, fortunæ comites utriusque, morigeras, fidas, sollicitas expertus est, quæ crebrius ægrescenti marito assidendo, fovendo solandoq; nulla non sinceri affectus munia sunt contestatæ. Quam eloquens in suggesto steterit præco, quam accuratus in Cathedra Doctor, quam gravis in Consilio

B

Acad.

Acad. Senator sederit, imò quam cætera quoq; , Depu-  
taturæ, Decanatus &, quod primò nominandum erat,  
Rect. officium comòde ejus recubuerint humeris, mo-  
dò favisset valetudo, novit Ecclesia, novit pubes DEO  
devota, novimus universi, quotquot non

*Virtutem incolumem edimus,*

*Sublatam ex oculis querimus invidi.*

Ingenio enim erat egregio, judicio acri, gravitate reve-  
rendus, vultu ad severitatem composito, tectus hosti-  
bus, apertus amicis, sermonum parcus, ignotis quan-  
dòq; fronte contracta, notis explicata, in dictis & pro-  
missis non muliebriter varius. In conversatione si non-  
nullis videbitur justo austerior fuisse, aut solitudinis af-  
fectantior, *αὐτὸς* hypochondriaco imputabimus, oriun-  
do ex jugi cum morbis conflictu. Non enim numerosæ  
vivacitatis aut benè compacti corporis exemplum de  
se dare potuit opt. DEMMELERUS, quale de Masi-  
nissa Numidiæ Rege refert Val. Max. nullo unquam  
imbri, nullo frigore, ut caput suum tegeret, adduci po-  
tuisse. Eundem aliquot horis in eodem vestigio per-  
stare solitum, non ante moto pede, quam consimili  
labore juvenes fatigasset; ac si quid agi à sedente oport-  
teret, toto die se penumero, nullam in partem converso  
corpore, in solio durasse. Habitabat quippe nervosus  
animus in enervi JOSEPHI nostri corpore, firmum judici-  
um in compage infirma, h. e. Apostolo interprete gere-  
bat thesaurum nobile in vase testaceo, quasi abnuente  
natura (Ethnici verba sunt) utriusq; boni largitionem,  
ne supra humanam sit felicitatem eundem & valentissi-  
mum esse & sapientiss. putasses instar Carneadis cum  
animo tantummodo vita frui, corpore verò quasi alieno  
& supervacuo circumdatum fuisse.

Ve-

Verum enimverò incurrentium morborum agmina ita noster DEMMELERUS excepit, ut immissa à provido Numine ad macerandam carnem peccaminosam, ut amaras sagittas, sed è dulci venientes manu, quibus obviam tulit non Achillis hastam, aut clavam Herculis, aut Ajacis clypeum, sed è sacra panoplia depromptum apparatus, quo militem JESU Christi quem vis armari par est, scutum fidei dico, gladium verbi & precum missilia. Memini cum frequens viderem publico abstentum, nihil eum acerbior tulisse, quam quod domestici tortores nephritis, erysipelas, mictus, cruentus, *δυσχελία* (verba hæc nescite beati) à suggesto, à Cathedra, à Senaculo prohiberent invitū & frustra obluentem. Medicinam fulciendæ valetudini cælitus indultam adeo non sprevit, (quod nec prudentis foret) ut seriâ velitatione quandoque contenderit è mutis contravivos artis Magistros, quæ Pharmaca suæ synerasiæ essent appropriata magis, bibitis eoque sine Acidulis tum Jebenhusanis tum Theinacensibus, succedentibus Thermis præcedanæ refrigerationi Philocellensibus. Sed infidas videbatur inducias pactus nulla certa coeunte pace. In hac FRIGIDARIA ultima humani balnei cella, quò quinquagenario majorem deduximus, constitutus facile vidit, majori apparatu aut exquisitori molitione opus non esse, ut corporis atq; animi sui infirmo vinculo coherentis societas dirimeretur, quam si *αιμορροΐα* ex diuturna obstructione hæmorrhoidum enata intentatum jam semel iterumque ictum repeteret, quod juxta sagacissimi Medici Collegii prognosticas hariolationes circa nostrum, necessaria quædam in eventum mortis dispositurum, contigit marcescente

No-

Novembri superioris anni. Erupit enim diutina tabe concretus liquidusque per superiora sanguis, tanta copia impetuque, ut & ipse & præsentis vicinam lethi necessitatem præsentiscerent, properè advocato Dn. Collegæ DEMMELERUS noster, quæ ad doctrinæ orthodoxè obfignandæ, vitæque beatè claudendæ rationem facere potissimum videbantur, in sinum deposuit, & cælestibus devotissimè intentus arrectusq; inter alloquia solatiffua agonizans pausam vitæ, commendato creatori suo spiritu, omnibusque simul miseriis coronidem imposuit. Delegeras Tibi Opt. DEMMELERE, quod symboli loco non tam chartæ quam cordi inscriptum circumferebas: PATIOR UT POTIAR; planè ita est, passus es nec pauca nec levia, at potitus simul es felicitate nullo tempore terminanda, nullo modo mensuranda, nulla lingua enuncianda, qua macte vale & salve! Nos, quos eadem conditio devinxit, ut mori restet quibus nasci contigit, intervallis distincti, exitu æquandi, quo vitæ nostræ Modimperator jusserit ordine, Te sequemur. Interea Universitatem nostram pariendo novos Professores toties matrem, amittendo veteres *per densata funera* toties viduam mecum commiseramini, quæ annuo orbe nondum pleno tres superiorum Facultatum ternionis Antistes vel amisit vel ad plures dimisit: si sic pergat vitiis nostris iratum Numen, vix universi placandæ libitinæ ad quinquennium suffecerimus, id ne sirit divinam, veneror clementiam! Sic A. I. satis dictum, si non ad elogium, ad testimonium saltem, priori cum tenuitas nostra satisfacere non potuerit, posteriori deesse non voluit, certè non debuit.

DIXI.

Biogr. erud. D. 585

